



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

V. Nati ante diuortium vel concepti filii vel filiae, sunt legitimi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

dicti R. dicitur non fuisse de legitimo matrimonio nata, ^{ANNO} ^{CHRISTI} ¹¹⁷³ agitari dignoscitur, experientia vestra iam pridem commissimus terminandam. Verum quia in literis nostris inferi fecimus, ut saepesato R. possessionem omnium eorum, quorum possessor extitit, quando auus suus iter Hierosolymam proficiscendi arripuit, ante principalis causa ingressum faciatis appellatione cessante restitui, si eadem possessione fuisset per violentiam spoliatus. Nos attendentes, quod ad regem pertineat, non ad ecclesiasticam auctoritatem, de talibus possessionibus iudicare, ne videamur iuri & dignitati carissimi in Christo filii nostri H. regis Anglorum principis detrahere, qui (sicut accepimus) motus est, & turbatus, quod de possessionibus non scripsimus ei, cum ipsarum iudicium (ut asserit) ad se pertineat: volumus, & fraternitati vestrae mandamus, quatenus possessionum iura regi relinquentes, factum de principali causa, videlicet utrum mater praedicti R. de legitimo matrimonio fuerit nata, plenius cognoscatis, & eam vel aliam secundum literarum nostrarum tenorem, appellatione remota, terminetis, licet incongruum videatur, ut matrimonium genitricis praefati R. impetatur, quod ea viuentis, ut dicitur, non fuerit impetitum.

CAP. V. *Idem.*

Cum inter I. veterem conciuem nostrum & T. mulierem diuortii sit sententia canonice prolata, filii eorum, qui ante sententiam nati fuerunt, & ille qui tunc conceptus erat, non debent exinde sustinere iacturam, cum parentes eorum publice sine contradictione ecclesiae matrimonium inter se contraxerint: inde est quod auctoritate apostolica statuimus, ut filii eorum, quos ipsi ante diuortium habuerunt, & qui conceptus fuerat ante latam sententiam, nihilo minus legitimi habeantur, & quod in bona paterna iure hereditario succedant, & de bonis parentum suorum nutriantur. Quocirca venerabilitati vestrae, &c. quatenus praefatos filios memorati I. praedicta mulieris succedere in paterna bona, & exinde nutririi non prohibeatis; nec occasione diuortii in parentes eorum celebrati, eis a quoquam molestiam vel grauamina sustineatis inferri.